



EXERCITATIO THEOLOGICA
DE
CREATIONE HU-
JUS UNIVERSI

Q U A M
DIVINI NUMINIS GRATIA

SUB PRÆSIDIO
DN. GEBHARDI THEODORI MEIERI
SS, Theolog. Doct. Ejusdemque in Academia
Julia Professoris Publ. & Ordin.

AD DIEM XIX. JULII MDC LXXXV,
examini publico subjiciet

DIETERICUS JEREMIAS RIPENHUSEN
GÖTTINGENSIS
Auctor.

℞ (o) ℞

TABO

HELMESTADT,
Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.



V I R O

NOBILISSIMO ET CONSULTISSIMO,
DOMINO

OTTO NI RIPEN-
HUSEN JC^{to},

Dicasterii Provincialis, quod est
Hannoveræ, Assessori Or-
dinario,

Reiquepublicæ Göttingensis

Consuli & Syndico optime
de Patria merito,

Patri suo summe venerando

primum hoc specimen Academicum,
pietatis causa,

dicat, dedicatq;

filius obsequentissimus

DIETERICUS JEREMIAS RIPENHUSEN.



C. D.

EXERCITATIONIS ACADEMICÆ
**DE CREATIONE HVJVS
UNIVERSI**

§. I.



Uti res creatas, quæ sub solis candore in hac universi machina sunt, vivunt & agunt penitus perlustrat, non satis mirari potest, quod Deus T. O. M. tam accuratum cuilibet rei & materiæ in prima creatione ordinem & locum tribuerit. Stellis ex. g. & syderibus, licet numerus illorum quantus & quantus sit, tamen unicuique motum suum occidentem & orientem assignavit, suum item locum immutabilem, ut ne unum sydus seu una stella alteri in motu impedimento sit, ordinavit. Soli & Lunæ, maximis illis luminibus, proprium cursum adscripsit, ita ut sol diem faciat, & luna noctem illustret. Et in omnibus reliquis rebus, tam cœlestibus, quam terrestibus, suam sapientiam & clementiam ita ostendit, ut infinitus & omnipotens ille Deus in creatis rebus scrutandis nostrum finitum & corruptum intellectum illuminet, seseque manifestet, ut immortalis à mortalibus per opus factum agnoscatur, & invisibilis à visibilibus videatur. Unde Rex David: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus enarrant firmamentum.*

A 2

mentum.



mentum. Pl. 19. v. 2. Et quoniam omnis nostra felicitas in agnitione & cultu seu fruitione summi Dei consistit, Deus autem, ut omnium primum per creationem bonitatem tuam cum homine communicavit, ita & per eandem omnium primum agnosci potest, non abs re me facturum esse arbitror, si loco speciminis Academici, quod prima vice edere iussus sum, doctrinam de Creatione repeterem, atque theses quasdam de ea, ex scriptis & prælectionibus Præceptorum meorum concinnatas, ad disputandum proponerem. Faxit Deus feliciter!

§. II.

Duplex de Creatione disputatio potest institui: Alia in actu signato à Philosophis; Alia in actu exercito à Theologis. Philosophus de creatione absolute & ut sic considerata absque determinatione ad tempus & modum, in Scriptura revelatum, agit. Theologus creationem intra tempus & modum, à Mose, primo nascentis mundi Historico, determinatum, spectatam considerat, scilicet quod omnia creata sint in tempore, quod ista creatio facta sit spacio sex dierum, singulari rerum productarum servato ordine; quod verbo facta & aptata sint, quæ facta sunt. Creationem ex ratione scimus, creationis modum per fidem intelligimus. *Heb. XI. vers. 3.*

§. III.

Vocem creationis variis ambiguitatibus expositam esse, in promptu est. Nec autem jam quidem lubet omnes ejus significatus, ne quidem quibus in Scriptura Sacra sumitur, sed saltem in quibus significationibus in historia Creationis Mosaica accipiatur, commemorare. Bifariam Mosen voce creationis in
historia

historia productionis hujus universi uti videmus. Primo pro productione rei ex nihilo, hoc est, ex nullo præexistente vel simul existente subjecto. Ita accipitur, quando Geneseos cap. I. v. 1. dicitur; *In principio creavit Deus cælum & terram.* Deinde secundo pro productione rei ex præexistente subjecto quidem, sed non ita habili & disposito, ut, virtute agentium naturalium cum concursu Dei generali, forma rei producendæ ex ejus potentia educi possit. Etenim productio rei ex subjecto duplex est, vel ex subjecto habili & disposito, vel ex subjecto non habili & indisposito. Ex subjecto habili & disposito productio rei est ita comparata, ut formam possit recipere interventu naturalium agentium & potentia illa materiæ possit traduci in actum. Hæc productio proprie est generatio. Deinde productio ex subjecto non habili & indisposito dicitur, in quo non est potentia ad formam recipiendam, nisi admodum remota. Ita dicitur Deus creare animalia & ipsum hominem cap. I. Genes. v. 21. & 27. Hæc duæ memoratæ significationes sunt hujus loci, reliquæ ad nostrum institutum nihil aut parum faciunt, adeoque hic omittuntur. Atque duplici isto significatu Moses propterea usus est, quia creationem hujus universi stylo historico, modoque populari, ad simpliciorum, maximæ hominum partis, captum descripsit.

§. IV.

Nec porro hic insuper habendum, ad duplicem declaratum significatum habere se creationis vocem ad modum eorum quæ Philosopho ab uno ad unum, vulgo analoga, male tamen, appellantur. Creatio proprie & primario est illa quæ producit aliquid ex

nihilo, altera autem qua producitur aliquid ex subiecto vel simul existente vel præexistente, in quo tamen nimis remota est potentia ad recipiendam aliquam formam, ita ut naturalibus causis educi non possit, analogice, & secundo, dicitur creatio. Philosophi creationem analogice ita dictam generationi accensere solent, & quidem non incommode, cum Moses ipse in Historia Creationis voce generationis in isto significato usus esse videatur quando Genes. II. v. 4. dicit *Istæ sunt generationes cæli & terræ.* Nos ex usu peritorum Theologorum productionem illam ex subiecto præexistente aut simul existente creationem quam generationem dicere malumus: quod per naturales causas fieri neutiquam possit.

§. V.

Est autem creatio formaliter, *primo*, non ipse Deus, non actus divinæ voluntatis. Etenim si voluntas, seu velle Dei, pertineret ad creationem formaliter sic dictam, Deus per voluntatem suam esset formaliter creans & ab æterno creasset, jam vero ab æterno non creavit quamvis ab æterno voluntatem creandi habuerit. Ergo formalis ratio creationis non est ipsa voluntas Dei. Quicquid enim Deus in tempore agit, illud ab æterno agere decrevit. Nec, *secundo*, est relatio creatoris ad creatorem, quoniam reale quid est creatio, relatio autem illa est rationis. Neque *tertio* Creatio formaliter in relatione creaturæ ad creatorem consistit, quicquid enim natura posterius est creatura, in eo non consistit ratio formalis producendi creaturam, quia creatio est ratio producendi creaturam, tanquam terminum, terminus autem productionis prior esse non potest productione ipsa. Relatio creaturæ

turæ est natura posterior creatura, quoniam relatio dependet à creatura & supponit creaturam tanquam fundamentum. Ergo relatio non est ratio formalis producendi creaturam, uti hoc pluribus deduxit Slevoigtus. Creatio, *quarto*, non est unum aggregatum ex creatura & creatore, ita enim sequeretur quod creatio pertineat ad essentiam Dei, jam vero absque attributis relativis & respectivis, absque creatione, absque conservatione &c. Deus est Deus Ergo.

§. VI.

Sed creatio formaliter est actio Dei transiens, qua esse creaturæ producit ex nihilo. Dicitur, primo, actio, quoniam ratio qua agens aliquid producit est actio, Ergo etiam actio est ratio formalis qua creator aliquid creat. Dicitur, secundo, actio transiens: quia creatio non manet & terminatur in ipso Deo, sed transit extra Deum in creaturas. Distinguitur, autem, creatio ab aliis transeuntibus actionibus in eo, quod fiat sine motu & mutatione quia fit ex nihilo. Reliqua definitionis exprimunt terminum à quo & ad quem. Et quidem terminus à quo exprimitur vocibus *ex nihilo*; ubi particula *Ex* non sumitur positive, sed negative, ut dicat formalem negationem dependentiæ à subjecto, vel à principio intrinseco concurrente. Nihilum etiam non intelligitur repugantiæ, quod essentiam habere repugnat, quale est chimæra, sed intelligitur nihilum negationis existentiæ, quod actu non est quamvis esse non repugnet, hujusmodi enim erat hoc universum ante creationem, poterat namque esse quamvis actu non existeret. Terminum ad quem creationis exprimere voluimus per esse creaturæ, cum non modo ad substantiam, sed etiam ad accidens aliquod,
creatio

creatio immediate terminari possit: quamvis in actu exercito considerata creatio non nisi ad substantias se terminaverit, ut suo loco patebit.

§. VII.

Dari vero ejusmodi creationem, de fide certum est, & præterea ex ratione constat. Ubi duo distincte sub considerationem vocantur. Primo, Creationem ejusmodi possibilem fuisse ut à prima causa fieri potuerit. Secundo, Creationem aliquando in tempore, in determinate intelligendo, factam esse. Primum ita probatur: Causa independens in essendo, est independens quoque in operando. Jam vero causa prima est independens in essendo alias non esset causa prima. Ergo etiam in operando: sicut enim res sese habet in esse ita quoque in operari, jam vero Deus est independens in essendo Ergo etiam in agendo nec à concursu causæ materialis dependet, & sic ex nihilo, seu ex non præexistente materia potuit aliquid producere, ita ut non necesse fuerit ad opus ejus materiam præexistisse. Deinde ita argumentamur: Quicumque potest annihilare seu deducere rem rursus ad nihilum, ille quoque potest aliquid ex nihilo producere, seu à non esse simpliciter ad esse simpliciter rem deducere: quoniam æqualis virtus ad rem annihilandam & rem ex nihilo producendam requiritur. Jam Deus potest deducere rem ad nihilum, seu annihilare subtrahendo solum influxum suum, Ergo potest ex nihilo quid creare. Denique si creatio, nec ex parte causæ, nec ex parte effectus, in involvit contradictionem, possibilis est: jam vero non involvit contradictionem, sed potius summam perfectionem, & omnipotentiam Dei ostendit Ergo creatio est possibilis.

§. IIX. Al-



§. VIII.

Alterum, nempe creationem aliquando intempore, indeterminate intelligendo, factam esse, ostenditur, 1. à generatione rerum corruptibilium. Generationes specierum non sunt actu infinitæ sed finitæ; Ergo sistendum in aliquo primo generante intra eandem speciem, quod non sit generatum. Sic, exempli gratia, generationes hominum non sunt actu infinitæ, hoc enim multis modis repugnat, sed finitæ: ideoq; perveniendum tandem in hominibus ad aliquem primum generantem qui non generatus. Hoc supponendo supposito quaeritur: an ille primus generans vel sit ex se productus, vel ab alio. Illud esse non potest, ergo erit productus ille generans, non per generationem, quia supponimus illum esse ingenitum, ergo per creationem, cum tertius productionis modus haberi nequeat. 2. A productione spirituum. Dari multos spiritus, adeoq; dari spiritus productos, nullum est dubium & manifeste alibi demonstratur. Spiritus autem ex materia produci non possunt, quia illam in se non habent, ergo sunt creati seu producti ex nihilo.

§. IX

Et tantum hac vice de creatione absolute seu abstractivè considerata, pergimus nunc ad potissimum nostræ dissertationis caput, Creationem in specie, in quantum per eam intelligitur productio hujus universi, & cum apposito Creatio mundi dici solet, spectaturi. Definimus autem eam, quod sit actio Dei ad extra, qua sex dierum intervallo omnia quæ sunt extra ipsum, ad sui nominis gloriam & hominum utilitatem, produxit. Creationem dicimus in singulari numero

B

actio-

actionem, non quod creatio hujus Universi sit una simplex actio, sed quod per modum unius actionis à nobis concipiatur. Est creatio hujus universi actio ex pluribus, & quidem tot actionibus realiter distinctis quot creaturæ sunt, aggregata, omnes autem illæ productiones concipiuntur per modum unius actionis, quod creaturæ, in quibus terminantur, inter se habeant ordinem quendam & constituent unum per aggregationem, ita ut per modum unius termini produci concipiantur. Dicitur creatio actio Dei ad extra, quoniam terminatur ad creaturas. Actiones Dei sunt in duplici differentia: Aliæ ad Extra, Aliæ ad intra: Ad intra sunt quæ intra essentiam divinam terminantur, quales sunt generatio Filii & missio Spiritus sancti. Porro actio hæc per aggregationem est actio transiens, quoniam in agente non recipitur quatenus actioni immanenti opponitur. Discernitur autem hæc actio transiens ab aliis, quoniam fit sine motu & mutatione ut B. D. Hornejus sect. 1. de rerum creatione scribit, verba ejus hæc sunt: *Observetur etiam, creationem ipsam actionem quidem Dei transeuntem esse, sed sine motu & mutatione: non enim sicut statuarius primo incidit post exasciat & expolit lignum, ut tandem statuam inde effingat, ita mundum fecit (Deus) sed uno verbo i. e. solo nutu & imperio: quod enim ex nihilo fit id sine motu & mutatione fieri necesse est.*

§. X.

Quis sit creationis autor in definitione nostra exprimitur, nempe Deus T. O. M. Ita enim Moses suam Historiam auspicatorus: *In principio creavit DEUS cœlum & terram & Psal. 146. Dominus Deus fecit*

fecit cœlum & terram mare & quicquid in eis est Act. 4.
v. 24. Domine, tu es Deus ille qui fecisti cœlum &
terram, mare & omnia quæ in eis sunt Act. 17. v. 24.
Deus fecit mundum & omnia quæ in eis sunt, Rom XI.
v. ult. Ex eo & per eum & in ipsum sunt omnia.
Apocal. 4. v. 11. Domine ---- tu condidisti omnia
& per tuam voluntatem sunt & creata sunt, Psal. 19.
v. 1. Cœli enarrant gloriam Dei & opera manuum
ejus indicant firmamentum.

§. XI.

Imo solus & unus Deus hujus universi est crea-
tor docente Sacra Scriptura, Jobi 9. v. 8. dicitur: *Qui
condit cœlos Solus & ambulat super excelsa maris, Esa.
44. v. 24. Deus redemptor tuus & formator tuus ex ute-
ro ego sum Dominus faciens omnia ex tendens cœlos solus
stabilis terram & nullus mecum, Jerem. 10. v. 11. 12.
Sic dicitis eis: Dii qui cœlos & terram non fecerunt
pereant de terra & de his quæ sub cœlo sunt, qui facit
terram in fortitudine sua, preparat orbem in sapientia
sua, & prudentia sua extendit cœlos.* Philosophi id
etiam ex lumine naturæ poterant cognoscere, unde
Lactantius lib. 7. Divin. Instit. cap. 8 ita scribit: *Illud
rectius Stoici, quod à Platone sumserunt, à solo Deo fa-
ctum esse mundum & ejus providentia gubernari.* Qua-
propter Gentiles inexcusabiles sunt, quod Deum, quem
ex natura & creatione mundi cognoscere potuerunt,
non glorificaverint. Si Deus non solus creavit hoc
universum, sequitur quod vel non voluerit vel non
potuerit, si non potuerit alius fuisset præter eum &
cum eo cujus auxilio creaverit, jam vero præter
eum & cum eo nullus esse potuit, nam involueret
contradictionem: ita enim non esset Ens summum,

non prima causa, non independens & insufficientis ad creationem &c. Quod autem voluerit, ex effectu est videre, sequitur ideoque quod solus absque ullius auxilio concurrente mundum creaverit. Imo solus Deus mundum non modo creavit, sed & solus creare potuit. Nam quicquid in alio est per participationem, illud necesse est ab eo sit, cui inest per essentiam: Solum autem Deum per se, & esse, & bonum esse, constat. Soli proinde Deo, & præter eum non alii, vis creandi competit, quippe qui solus Summum Ens est, universale principiorum principium & prima causa, ad quam effectus omnes reducuntur.

§. XII.

Est ideoque detestanda impietas Simonis Magi quando dicit, *se esse summam Dei virtutem i. e. summum Deum, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum & ab omnibus gentibus variis nominibus coli, mundum autem ab angelis suis institutum*, ut refert Tertullianus de Præscr. adv. Hæret. c. 46. Idem senserunt Simoniani quos citat Irenæus *lib. 1. c. 20. & lib. 2. c. 9.* Hos secuti sunt Carpocrates seculo II. ut & Gnostici quorum autorem Carpocratem fuisse autumat Irenæus *l. 1. c. 24.* Nec non Saturniani atque Basilidiani, de quibus omnibus omnino legendus Epiphanius in suo Panario. Avicenna quoque erroneam hanc sententiam fovit, sentiens Angelum superiorem creasse res corporeas, attestantibus de eo Thoma *p. 1. quest. 46. art. 5.* Fr. Suaretur, *disp. 20. s. 2. n. 31.* & Polano in *syntag. Theolog. lib. 5. c. 3.* Plato quoque in Timæo Geniis creationem animalium adscribit. Alii vero malis angelis hoc opus deferebant, existimantes mundum

dum à principe malo fuisse conditum. Sic seculo V. Priscillianus & sec. XI. Bogomiles ab Alexio Cumeno exustus, teste Bellarmino *lib. Chronol. p. 2. f. 97.* & secul. XII. Cathari, Manichæorum proles, docuerunt. Hisce adduntur Luciferiani, Valentiniani aliq; plurimi. Vide præter alios Gerhardum in Loco de creatione. Ast hæc eorum sententia non Sacris literis tantum, sed & rectæ rationi, adversari, facili negotio potest probari. Nam Angeli, seu boni seu mali, creati sunt *Psal. 104. v. 14.* Si creati sunt, dependent ab alia causa ceu prima sine qua soli nihil agere possunt. Angeli sunt finitæ potentiæ ac sapientiæ. Ad creationem vero infinita requiritur virtus. Item angeli non fuerunt perfectissimæ bonitatis, cum quidam à Deo defecerint *ep. Iud. v. 16.* Creatio autem poscit summam bonitatem, qua omnia creari potuerunt valde bona. Quod attinet angelos malos illi non potuerunt quicquam creare. Nam creata sunt valde bona *Genes. 1. v. ult.* Angeli autem mali crearent mala saltem, si ex adversariorum sententia essent creatores. Quippe qualis causa talis effectus. Sed consequens Sacræ Scripturæ contrariatur. Ergo antecedens nequit consistere. Bene Augustinus de Gen. ad lit. 11. c. 15. inquit: *Angeli nullam omnino possunt creare naturam.* Et Damascenus 2. de Orthod. fid. c. 3. ait, *quotquot sunt qui essentiam ullam, quæcumq; tandem illa sit, ab angelis procreatam contendunt, horum ore pater illorum Diabolus loquitur.*

§. XIII.

Quoniam, porro, creatio est opus Dei ad extra, competit toti Trinitati, & Patri & Filio & Spiritui Sancto. Non tamen propterea tres sunt creatores, sed tantum

¶

ut

ut unus est Deus ita & unus est creator, sicuti salva una
essentiadivina tres Personæ in Deo sunt, ita & salva ma-
nente unitate possunt tres personæ divinæ creare.
Quod si autem tres essent creatores, sequeretur quod
tres essent causæ efficientes, tres Dii, qui tamē unus est.
Et licet tria sint supposita quæ in creatione hujus uni-
versi operata sunt, non tamen per aliam sed per
unam & eandem potentiam indivisibilem operata
sunt, uno principio Quo, ut in qualibet persona
tota creatio totus effectus & in totum dependeat à
Patre, & in totum dependeat à Filio, & in totum à Spi-
ritu Sancto. Patri creatio tribuitur Eph. 3. v. 9. &
1. Cor. 8. *Nobis unus est Deus, qui est Pater ille à quo om-
nia & in illum.* Filio secundæ personæ divinitatis
tribuitur Heb. 1. v. 2. *Diebus hisce locutus est nobis in
Filio quem constituit heredem universorum per quem &
secula fecit.* Joh. 1. v. 2. *In principio erat verbum, &
verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc e-
rat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt
& sine eo factum est nihil quod factum est.* Illud autem
verbum s. illud dicere, per quod Deus omnia crea-
vit, exponitur. Col. 1. v. 15. 16. *Qui est imago Dei
invisibilis & primogenitus omnis creaturæ is, est per
quem omnia creata sunt.* Ariani arripiunt obli-
quos casus in quibus de Christo, ut & Spiritu Sancto,
creatio dicitur, & inde volunt probare, quod Christus
Patre sit inferior, ita argumentantes: si Deus per fili-
um creavit omnia sequitur filium esse inferioris ordi-
nis, & per consequens non esse verum Deum. Sed
Filius secunda persona divinitatis est unum & indivi-
sum Ens; Unus indivisibilis Deus, & ejusdem essen-
tiæ cum Patre, Joh. X. v. 30. *Ego & Pater unum su-
mus,*

mus, unus ille Deus seu una potentia creandi simul non potuit esse nobilior & ignobilior, simul Deus & non Deus. Notandum etiam est, quod vocabulum *Per* non semper significet causam instrumentalem, sed & aliquando principalem. Ita Sacra Scriptura dicit, quod homines per Deum sint & conserventur Quod deniq; etiam creatio Spiritui Sancto competat, docemur, Ps. 104. v. 3. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur*, quo citato, *quid est inconsideratius*, ait Augustinus, *quam negare Spiritum Sanctum esse creatorem*, lib. 3. contra Maxim. c. 17. Job. 33. v. 4. *Spiritus Dei fecit me & afflatus omnipotentis indidit vitam mihi*. Psal. 33. *Verbo Domini caeli facti sunt & Spiritu oris omnis exercitus eorum*. Quod autem creatio in Symbolo tum Apostolico tum Nicæno soli Deo Patri tribuatur, fit per appropriationem. Omnia, porro, Patrem facere per Filium in Spiritu Sancto dicitur, ut ordo personarum in divinitate, quem ratione originis inter se habent, non autem causa instrumentalis, innuatur.

§. XIV.

Certum igitur est ex Sacra Scriptura, unum verum Deum, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum condidisse hoc universum; nullibi autem ea docet, quod Deus Omnipotens in creando adhibuerit causam instrumentalem, aut etiam minus principalem, ideoque nostrum non est id asserere, cum in talibus extra Scripturam sapere, sit nefas. Quod si habuerit causam talem involveret contradictionem, non esset solus sufficiens ad creationem, nec summe perfectus. An autem vim creandi Deus creaturæ communicare possit? in Scholis disputatur, aliis quæstionem affirmantibus, aliis & quidem plurimis negantibus, & inter

ter hos. Cyrillo lib. 2. contra Julianum & Patribus aliis. Quæstio autem non est de eo, an creatura in se & sua natura creandi vim, sed an non dependenter à causa prima per communicationem, & saltem per modum instrumenti, habere possit? id fieri posse Scholastici inde probare satagunt, quod illud nullam ex parte Dei aut ex parte creaturæ involvat repugnantiam. Scriptura Dei characterem discretivum nos docens dicit: Deus creans cœlos, creans fines terræ, creator Israelis, creans lucem.

§. XV.

Creavit autem Deus omnia non necessitate naturæ, sed, cum sit agens voluntarium & liberrimum, libera voluntate, ita ut mundum citius seriusve condere, aut etiam à creando prorsus abstinere potuerit, id ita docente Sacra Scriptura, Apoc. 4. v. ult. *Dignus es Domine accipere gloriam & honorem & virtutem quia tu creasti omnia & per voluntatem tuam sunt & creata sunt.* Si non libera voluntate, sed ex necessitate, Deus condidisset mundum & omnia quæ in illo sunt, ita ut creatio pertineat ad essentiam Dei, & sine creare non esset Deus, rursus aliquam imperfectionem in Deo involveret. Deus fuit ab æterno Deus, ante creationem, & mundus in tempore est creatus. Psal. 40. *Priusquam montes nascerentur & formares terram & orbem & à seculo & usq; in seculum tu es Deus.* Es. 40. *An non audi-visti, an non nosti quod Deus æternus Jehovah qui creavit terminos terræ,*

§. XVI.

Præterea creatio ista ex substantia Dei nihil subtrahit, nec Deus mutationem aliquam ab opere creationis
nis

nis passus est: neq; voluntas nova ipsum subiit, sed novum duntaxat opus externum ab æterna ipsius voluntate prodiit. Quocirca quando Deus mundum condidit, ab otio ad negotium, vel à potentia ad actum nequaquam transiit; sed potius ipse mundus & omnia quæ extra Deum sunt è potentia quasi sed non positiva (si quidem nihil erat, in quo mundus esset potentia) sed, ut ita loquamur, negativa, in actum quodammodo exiit. Neq; etiam perfectio quædam Deo accessit ex rerum hujus universi creatione: semper enim Deus ab æterno, in se & per essentiam suam fuit perfectissimus.

§. XVII.

Omnia autem quæ sunt extra Deum à Deo sunt facta, præter peccatum. *Deus fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, Act. 17. v. 24.* Excipimus peccatum: *si Dii Deus, mali quid fecerint, fecerit, non sunt Dii, est Deus, inquit Euripides. Cupiditas carnis & libido oculorum & fastus vitæ non est ex Patre sed ex mundo est 1. Joh. 2. v. 16.* Scite Augustinus lib. de nat. boni cap. 4. *Cum quæritur, ait, unde sit malum? prius quærendum, quid sit malum? quod nihil aliud est quam corruptio vel modi vel speciei, vel ordinis naturalis. Mala itaq; natura dicitur, quæ corrupta utiq; bona est; sed etiam ipsa mala natura in quantum natura est, bona est, in quantum corrupta est, mala est.* Malum licet revera malum sit, non tamen est vera res, sed privatio & defectus. Privatio non ad esse, sed non esse pertinet. Terminus autem creationis est esse. Nullum igitur malum turpe est aut esse potest à Deo, sive Deum ipsum sive mali indolenti respiciamus, quamvis *nullum sit malum incivitate, intellige triste, quod Dominus non faciat. Amos 3. v. 6.*

§. XVIII.

Ulterius in definitione dictum §. IX. Deum omnia
C quæ

quæ sunt extra ipsum sexdierum intervallo produxisse. Deus non in tempore sed in principio temporis cepit creare hoc universum, atq; opus creationis primis sex mundi diebus perfecit. Philo rusticanae simplicitatis dixit, putare sex diebus aut certo quodam tempore mundum esse conditum. Augustino etiam tribuitur, quod unico momento mundum esse conditum docuerit 4. *Genes.* ad lit. cap. 26, 33. & 35. de quo videatur Thomas *qu.* 58 & Durandus 2. sent. 4. q. 1. Referunt Ecclesiast. illud cap. 18. v. 1. ἐκτίσθη τὰ πάντα κοινῆ: cum κοινῆ non simul sed communiter significet, & nil aliud vult quam omnia esse à Deo creata nullo excepto, adeoque non temporis sed rerum simultatem intelligit. Quod si quæras cur Deus non omnia simul ex nihilo produxerit? causa nulla præter Dei voluntatem reddi poterit.

§. XIX.

Omnia igitur à Deo producta sunt spacio sex primorum dierum, ut habet clara litera Historiæ Mosaicæ, quam in allegorias transformare est perversitatis. Ergo & Angeli intra primum sextiduum erunt creati, quo forsan respicit Moses quando *Genes.* 2. v. 1. dicit: coelum & terram cum omni suo exercitu primis sex diebus perfecta esse. Quo autem die creati sint Angeli, non constat, & parum aut nihil refert id scire, unde quæstionem hanc Theodoretus in *Genes.* q. 3. inter supervacaneas quæstiones reponit.

§. XX.

Sunt vero quædam à Deo producta creatione strictè sic dicta, creatione quam primam & immediatam appellat; quædam à Deo producta sunt creatione mediata. Ex nihilo tria modo sunt producta, Angeli, Materia prima & Anima rationalis. Cæteræ res omnes, quibus hoc universum constat, non sunt ex nihilo, sed dependenter à sub-

à subiecto, à Deo productæ. Et harum maxime seriem & ordinem Moses in historia sua nobis descripsit. Vosius inde orig. & progr. idololatr. lib. 2. cap. 67. existimat primum diem proprie creationis fuisse, quia eo Deus è nihilo res fecit: proximus se cretionis, quia facta distinxit: cæteri ornatus, quib' sic facta & distincta instruxit. Tertio enim die terrâ vestivit plantis, in his etiam Paradiso. Quarto coelum illustravit sideribus. Quinto aër aves, aqua pisces accepit. Sexto terris data animalia terrestria; tum ratione carentia, ut pecora & jumenta; tû prædita hac, ut homo. Sane ordo creationis, quem Deus servare voluit, quemq; Historicus in enaratione sequitur, est naturæ maxime congruus, uti sequentia docebunt pluribus.

§. XXI.

Primi diei opera statim ab initio capitis primi Geneseos v. 1. & 2. recensentur, & sunt: Coelum Elementa & Lux. Nec enim cum iis facimus, qui per coelum & terram rudem indigestamq; molem, & confusum aliquod chaos intelligunt. Nec cum illis, qui generaliter omnes res visibiles, intra primos illos sex dies à Deo conditas, nomine coeli & terræ venire existimant. Non terram modo, sed & reliqua elementa primo die fuisse producta versu secundo docemur, ubi dicitur: spiritum Domini flavisse super faciem aquarum. Hic per spiritum Dei intelligi potest, vel ventus magnus. Hebræi enim rem quam augere volunt, præmittunt nomini Dei. Vel juxta receptam Christianorum sententiam, tertia Divinitatis persona. Si autem aqua & terra primi diei sit opificium, haudin conveniens inde dicimus, quod eo tempore & aër & ignis fuerit productus. Et cum elegantissimo naturæ ordine sapientissimus architectus principia & fundamenta mundi jecisset, coelo, quod continet, & ambit omnia, nec non elementis, ex quibus reli-

C 2

qua



qua omnia producenda, conditis, ulterius est progres-
sus, & in cœlo quod jam effecerat, produxit Lu-
cem, qua dies à nocte discerneret. Lucem au-
tem illam corpus aliquod æthereum, densum ac luci-
dum fuit, quod motu ab oriente in occidentem & ab
occidente in orientem (quia sol nondum à Deo pro-
ductus) diem ac noctem confecit. Et illa quoq; lux
quæ solis vicem primo sustinuit, postea in solem & reli-
quas stellas veluti vehicula, fuit traducta. Quorum au-
tem lucis primævæ creatio homines pios admoneat,
videre est apud B. Gerhardum in Com. super Genes. p.
16. & seq. §. XXII.

Secundi diei opus est, aquarum distinctio. In Ebræo
est vox *Rakia*, quæ ab autoribus varie explicatur.
Nonnulli hoc vocabulo intelligunt cœlum stellatum,
secuti forsitan LXX. Interpretes, id vocabuli per vo-
cem *רָקִיעַ* stabilimentum seu firmamentum expo-
nentes, eo quod cœlum sit stabile i. e. nulli corruptio-
ni obnoxium. Unde etiam plerique Schoiastici, Ebrææ
& Græcæ linguæ ignari, cum ap. Vulgatum viderent
firmamentum, illud vocabulum de cœlo stellato sunt
interpretati. Huic opinioni non pauci adstipulantur
nostri ævi Theologi; eandemque probare satagunt (1)
ex seq. vers. 7. Gen. 1. Ubi dicitur Deum vocasse ex-
pansum cœlos (2) ex vers. 14 & seqq. in quo lumina-
ria dicuntur in expanso cœlorum constituta, quæ in-
ter diem & noctem distinguant, & sint in signa & tem-
pora & dies & annos. Atqui luminaria & astra omnia
constituta sunt in cœlo æthereo. Ergo cœlum æthe-
reum expansi nomine est intelligendum. Nonnulli
per expansum angelos in bono confirmatos, imo alii,
atque alii aliud atque aliud intelligi cupiunt. Sed
nos tutiorem & in sacris literis convenientiorem sen-
tentiam

tentiam sequentes dicimus: in Ebræo *Rakia* esse generale nomen & quodlibet expansum denotare, ita ut tam aëri quam ætheri conveniat. Quod autem expansi nomine non æthereum cœlum, sed aërea moles, per omnia loca extensa, significetur, ex textu colligitur. Cœlum æthereum jam prima die creatum dicitur. Dicitur quod expansum sit in medio aquarum. Duo hæc elementa, terra scil. & aqua in principio creationis locis non fuerunt inter se distincta, sed confuse unum constituebant globum, & terra, veluti elementum gravissimum, in centro constituta, aquarum mole undiquaque fuit cooperta. Postero die de aqua quasi exhalare nubes fecit Deus, inter quas & inferiores aquas quasi medius expansus est aër, qui sæpius in Scriptura nomine cœli venit.

§. XXIII.

Sunt nonnulli, qui per aquas intelligere volunt tales, quæ supra extremum essent cœlum, idque probari ex hoc loco autumant, dicentes: expansum esse supremum cœlum. Ast erronea hæc est sententia & falsanitur hypothesi, scilicet expansum de cœlo extremo seu stellato exponendum esse. Nam in textu originali non dicitur supra firmamentum, sed à desuper, h. e. à supremis locis expansi esse. Satis apte germanice diceret: *von oben her/* vel *an der Feste des Himmels/* non *über der Feste des Himmels/* & opponitur aquis quæ sunt in locis infernis. Nequaquam autem opus est, ut quando dicuntur illæ aquæ à superioris locis expansi esse, ut sint super cœlum extremum; sed sufficit si sint supra nos & tunc recte dicuntur desuper respectu expansi esse. Et certe non potest dici de aquis, quæ sunt supra omnes cœlos ut probatur ex contextu. Nam dicitur, quod expansum sit constitutum in medio aquarum



rum, & dividat aquas quæ sunt infra expansum, & quæ sunt supra expansum. Ecquis quæso de cælo æthereo statueret, quod dividat aquas superiores ab inferioribus? Unde expansum hoc minime potest intelligi, nisi de aërea regine. Non autem obstat locus Gen. I. v. 8. Ubi Deus vocavit expansum cælum; Nam vox cæli non æthereæ modo, sed & quandoque aëreæ regioni tribuitur ut Gen. I. v. 12. Deut. 4, 18. ubi cælum denotat aërem.

§. XXIV.

Tertii diei opera inferioris mundi partes concernunt, & sunt gemina. I. Aquarum decursus in flumina, stagna, maria aliosque meatus subterraneos. Nam hoc erat summe necessarium, quo animantibus extra aquam viventibus daretur degendi locus. II. Productio corporum mixtorum, ubi Deus progressus est ab imperfectioribus ad perfectiora. Initium enim fecit à plantis, easque ex terra, tanquam elemento prædominante, produxit. Gen. I. v. 12. & seq. hæc habentur verba: *Et dixit Deus: Germinet terra germen herbam seminificantem semen, arborem fructi feram præferentem fructum secundum speciem suam. Et sunt ita: Et protulit terra germen, herbam seminificantem semen in specie sua, & arborem præferentem fructum. Cujus semen in ea juxta speciem suam.* Sunt qui statuunt, inanimata corpora, ut lapides & metalla tanquam imperfectiora statim cum terra prius fuisse creata. Et licet Moses eorum expressam non faciat mentionem: tamen non esse infrequens sub terra tanquam generali vocabulo reliquas partes contineri: Et noluisse Moysen eorum meminisse, quod in terra lateant. Sed videtur probabilior eorū sententia, qui lapides atq; metalla minime ut corpora animata, actu fuisse creata, sed saltem

saltem potentia, quæ postea virtute solis, ac syderũ cœlestium fuerunt temporis progressu producta, doceent. Et sic eorum productio potius naturalis generationis quam creationis nomen meretur, videatur Dn. D. Johan. Musæi *disput. V. de creat. §. 40.*

§. XXV.

Quarto die Deus solem, lunam & cæteras stellas in cœlo produxit, non ut diem à nocte tantum discernerent, verum etiam ut illuminarent terram, suo quoque influxu fæcundam redderent; si quidem plantæ sine solis calore in terris conservari, fructusque proferre haud poterant. Præsertim autem hoc die duò luminaria magna fuerunt condita; Ita ut sol luminare majus in comparatione ad lunam constitutus, superans terram quantitate centies sexagesies sexies ut præsit diei, luna, quæ nocti præsit, in comparatione ad solem luminare minus vocetur. Luna quidem juxta mathematicorum demonstrationes, cæteris stellis est minor. Verum quoniam nobis propior est quam stellæ aliæ, & propter propinquitatem suam majus esse videtur, communiter pro majori luminari habetur.

§. XXVI.

Quinto die Deus, omnium rerum creator pisces, atq; aves creavit; & quidem pisces ex aqua, aves vero ex terra tanquam elemento prædominante. De aquatilibus, quod sint producta ex aqua tanquam elemento prædominante, nulli ambigimus. Ita enim apud Mosen *vers. 19.* dicitur: Producant aquæ reptile animæ viventis, & *vers. 21.* Creavit Deus cetos magnos, & omnem animam viventem reptem, quam produxerant aquæ, Utrum vero volatilia ex aqua, an ex terra sint producta, Theologi Doctores disquirunt. Qui prius asserunt, eorum fundamentum est hoc; quod *vers. 20.* Volatillum productio conjungatur cum productione aquatillum ex aqua. Inquam sententiam

B. Chem-

B. Chemnitius de creatione loco inclinare videtur. Notum est illud Ecclesiæ:

*Magna Deus potentia,
Qui ex aquis ortum genus
Partim remittis gurgiti,
Partem levas in aere,*

Sed quominus huic opinioni calculum nostrum adjiciamus cap. 2. v. 19. facit, ubi expressis verbis docemur, volatilia ex terra esse producta. Idem etiam dicit textus originalis cap. 1. v. 20. Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile volet super terram. Hic vocabulum *producant*, non ad volatilia, sed ad solos pisces refertur, vox vero *volatile* spectat ad verbum *volet*. Ut talis tandem emergat sensus: aqua producat pisces, fiant etiam volatilia, quæ volent super terram.


§. XXVII.


Sexto & ultimo die divina benignitas produxit bruta & species omnes terrestrium animalium, imprimis hominem Marem scil. & foeminam, inque amoenissimum hortum Eden collocavit. Marem Deus vocavit Adam, & ex terræ gleba eum creavit: Foeminam vero, cui Adam nomen Evæ indidit, ex viri dormientis costa, minime vero à tergo Adami abscidit, ut Rabbi Manasseben Israel cum multis Judæis est fabulatus. Nullatenus autem Adam factus est mutilus, cum Deus in locum sublatae costæ, aliam illico suffecit. Eapropter in locum vacantem caro h. e. costa carnis vestita succ esse dicitur.


§. XXVIII.

Tandem in definitione diximus, Deum omnia ad sui nominis gloriam & hominum utilitatem produxisse. Finis creationis ultimus est gloria Dei: siquidem hic mundus, & per eum bonitas, sapientia, & admiranda Dei potentia innotesceret, ac vicissim creaturæ ad agnoscendum & venerandum. Creatorem incitarentur præsertim constaret. Finis vero intermedius est hominum utilitas. Nam omnia facta sunt ut hominis usibus inservirent, quorum quædam ad humanæ vitæ necessitatem, alia ad ejusdem delectationem pertinent: Nonnulla exhibent morborum remedia, alia præsidia sanitatis; Imo non pauca proposita in exemplum & imitationem, singula vero ad netitiam venerationem atq; Dei dilectionem omnino nos alliciunt. Tantū de nobilissima hac materia sint dicta. Concludimus verbis B. Anselmi de misericordia Dei: *Admoneo te, inquit, ut sine intermissione recorderis quam dulcis & quam bonus sit erga te creator tuus. Quanta bonitas ejus fuit, quod te, cum non esses, creavit & quod te non petus, aut creaturam insensibilem; sed eam creaturam fecit, qua cum posses intelligere & amare & cum eo suam aternitatem, aternamq; & feliciter possidere?*

F I N I S.






















EXERCITATIO THEOLOGICA
DE
CREATIONE HU-
JUS UNIVERSI

Q U A M
DIVINI NUMINIS GRATIA

SUB PRÆSIDIO
DN. GEBHARDI THEODORI MEIERI
SS, Theolog, Doct, Ejusdemque in Academia
Julia Professoris Publ, & Ordin.

AD DIEM XIX. JULII MDC LXXXV,
examini publico subjiciet
DIETERICUS JEREMIAS RIPENHUSEN
GÖTTINGENSIS
Auctor.

HELMESTADT,
Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.

TABO

